

Universitätsbibliothek Wuppertal

C. Cornelii Taciti Opera Qvæ Exstant

Tacitus, Cornelius

Antverpiae, 1668

De materie olim horum librorum

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1742](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1742)

scripturus eodem titulo fortasse & tractu res Triumvirorum & Augusti. Facta incidit. Hæc ratio mihi ante oculos, cum Editione primâ Historiarum Annalibus anteposui: non ætatis seriem secutus, sed scriptionis tempus. Mutavi. non quia peccarim, sed quia non mens mihi contentionis funem cum vulgo ducere super re leui. Denique quia rerum magis ordinata ita series. Moneo postremum, stilum ipsum, argumentum & causam esse posse utriusque operis separandi. Sanè in istis Historiarum libris scribendi genus totum floridius, diffusius, & velut canali fluens pleniore. in illis Annalium siccus, contractius. adeò ut illic plurimum annorum res uno libro; hic vix unius anni comprehensa pluribus libris. Sive atas id fecit, sive potius iudicium curæ scribendi.

DE MATERIE OLIM HORVM LIBRORVM.



OMPLEXVS erat Tacitus his libris res domi forisq̄ gestas, à Seruij Galbæ principatu ad initium Neruæ. Docet ipse anteloquio operis: *Quod si vita suppeditet, Principatum diui Neruæ & imperium Traiani uberiorem securioremq̄ materiam senectuti seposui.* Scripsit ergo hîc & descripsit Principes sex, Galbam, Othonem, Vitellium, Vespasianum, Titum, Domitianum. Sub quibus multæ magnæq̄ res in vrbe, in prouincijs: quarum capita libat ipse totâ hac Præfatione. Ita clarum, grande hoc Historiarum opus fuisse, & à Galbâ ad Neruam, annorum circiter viginti & unius materiem complexum. Sed & numerum librorum ex Hieronymo dare fas est, qui sic in Zachariam: *Cornelius Tacitus, qui post Augustum usque ad mortem Domitiani (obserua finem Historiarum) vitas Cesarum triginta voluminibus exarauit.* Ecce triginta libros in vniuersum: atqui *Annalium* libri sedecim, aut si fortè septemdecim fuerunt: ergo *Historiarum* tredecim. Suggestit Hieronymi locum opportunè vir nobilis è Britannia, Franciscus Tregianus. At tu vides, Lector, quæ & quanta bonarum rerum iactura: &, scio, mecum ingemiscis. Vbi Tacitus desierat, consilium ordiri Ammiano fuit: qui vestigia eius legit, sed pede non tam fausto. Ipse de se Ammianus: *Hæc ut miles quondam & Græcus, à principatu Cesaris Neruæ exorsus, ad usque Valentis interitum, pro virium explicauit mensurâ.*